DISSERTATIO INAUGURALIS CIRCA DIAGNOSIM ET THERAPIAM MORBORUM...

Vincenzo Zambelli

DISSERTATIO INAUGURALIS

CIRCA

DIAGNOSIM ET THERAPIAM

MORBORUM INFANTILIUM

QUAM

AD LAUREAM MEDICAM OBTINENDAM

ERUDITORUM EXAMINI OFFEREBAT

Vincentius Zambelli

VERONENSIS

PATAVII

TYPIS PENADA

MDCCCXLIII

ALLA

AMOROSISSIMA MIA ZIA

TERESA VED.ᴬ PERAZZINI

A NIUNO SECONDA

QUESTO TENUE LAVORO

CONSACRO

INTRODUCTIO.

Corpus humanum, a prima formatione sua ad perfectam usque post partum evolutionem, plura evolutionis et regressionis percurrit stadia. In qualibet aetatis periodo, praeprimis autem infantilis, homo nonnisi gradatim ad summum perfectionis organicae gradum aut accedit, aut inde recedit. Alia est vita fetus in utero, alia neonati, neque eadem ante certarum partium evolutionem, quae post hunc eventum, cuilibet vitae periodo, alia convenit ad morbos dispositio, et pro diversa corporis evolutione, diversa quoque morborum ipsorum modificatio.

Vita, quam fetus vivit, vix non tota vitae dicatur plasticae, soli que materiae productioni; vitae animalis levissima tantum vestigia, nonnisi vegetationi inservientis; assimilatio, et nutritio ceteris hinc eminentes; materiei plasticae quantitativa exuberantia; actio organica intrinsecus directa, et ex eodem fonte ad deformitates et vitae plasticae errores dispositio praevalens huic conveniunt aetati.

Tenerum atque debile corpusculum, ubi ex materno evehitur utero, gravissimam et multiplicem jam quoad circulationem et nutritionem subit mutationem; aliam ingreditur vitam altiorem, magis independentem. Praeter vitam mere vegetativam altior nunc animalis exsurgit: assimilationi se adjungit egestio.

Haec vita ad sextum usque mensem, tum respectu physiologico quam pathologico, ut pure animalis consideranda est. Idem instinctus, qui modo natum ad ubera matris quaerenda ducit, cogit simul eum, sensationes suas, tum gratas tum molestas, suo manifestare modo, habitu scilicet corporis vario, voce, vagitu motuque automatico ad partes adfectas dolentes; atque per haec nonnisi signa, atque ex contrectatione dolorifica, in oculis praesertim et circa os infantis conspicua, ex functionum vitae animalis et vegetativae anomaliis, ad exactam devenire possumus morborum cognitionem.

Primis duobus annis vita ut mera generationis continuatio consideranda venit, omnis fere energia vitalis in organisationem vitae animalis convertitur; massa autem organica, celeriori passu conformata, minorem tamen adipiscitur perfectionem; laxior potius atque infirmior; incitatio multo minor vegetatione deprehenditur; ideo major quoque mortalitas. In hac vitae periodo febres purae raro observantur, morbi vero febriles stadiis gaudent minus limitatis, decursus est minus constans, motus critici vix manifesti, evacuationes criticae ad

statuendam prognosim minus conferunt, quam in adultis. Cum autem vegetatio hoc tempore praedominans sit, inde illa quoque ad affectiones vitae plasticae morbosas, cum nervorum turbis, ab irritabilitate nimis exaltata, saepius conjunctas dispositio, hinc etiam tot digestionis et assimilationis vitia, secretio, diarrhoea, rhachitis, hydrocephalus, nervorum distentiones hoc aetatis infantilis stadium adeo infestant.

Organa et systemata sub continuata corporis infantilis metamorphosi diversimode constituta sunt neque pari gaudent vitalitate; diversa organa, diverso evolutionis stadio aliisque dominium suum valide exercentibus, quiescere videntur, ita quidem, ut unum alteri continuo praevaleat; donec ad secundae dentitionis finem, ad septimum usque fere annum, harmonia, ex omnium functionum longo saepeque periculoso conflictu, perfecta emergat. Quum autem ille concentus harmonicus nonnisi raro sine magnis contingere potest turbis, stricte distinguatur in tenelli hujus aevi morbis dijudicandis, an affectiones, sub evolutionis stadiis morbosae emergentes, salutares sint naturae nisus et molimina ad aequilibrium affectionum perturbatarum restituendum; an sint veri nominis morbi, e nisu formativo aut processu evolutionis in certis organis exaggregato orti, atque ope indigeant medica, an sint mere accidentales, qui ex aliis causis enati coincidunt cum processu evolutionis, et complicationem constituunt.

In hac periodo, quamvis magna adhuc su-

persit dispositio ad morbos vitae plasticae, augetur tamen in affectiones abnormes vitae irritabilis et sensiferae proclivitas. Scrofulae, exanthemata, tussis convulsiva, angina membranacea, inflammatio cerebri exsudatoria, huic aetati stadio prae ceteris insidiantur.

Pueri, septimum egressi annum, nonnisi raro angina membranacea, asthmate acuto aut hydrocephalo infestantur, increscit vitae robur et constantia renisusque in potentias nocivas. Periodus haec, ad decimum quartum usque annum extensa, sanitati quam maxime prospiciens, totius hominis vitae minima fruitur mortalitate.

MOMENTA, QUAE IN DIAGNOSI MORBORUM PUERORUM STABILIENDA PRÆPRIMIS SUNT RESPICIENDA.

Singularem aetatis primae naturam rite perpendens, facile intelliget, diagnosin, in morbis infantum peculiari charactere donatis, summa premi difficultate. Accedunt porro, infans loquelae expers, nec sedem morbi neque sensationis morbosae indolem assignare valens, momenta causalia excitantia medicum latentia; parentum et custodum falsa saepe relatio. Tali ratione medicum, externis solummodo detentum symptomatibus, in diagnosi stabilienda, quae morbo sint, quae physiologicae evolutioni aut voluntati perversae tribuenda, summa oportet discernere sagacitate.

Habitus externus corporis primum est me-

dico objectum indagationis aegri infantis, et cujus sola jam voluminis illustratione, non raro diagnosis hauriri potest; sic in rhachitide ex volumine imminuto, faciei extremitatumque emaciatione, mala statuitur prognosis.

Volumen imminutum, functionum primarum viarum turbis accedens, assimilationis anomalias indicat.

Emaciatio corporis abdominisque praeprimis collapsus, in hydrope cerebri acuto, signum sistit pathognomonicum momentumque, quo morbus ille a febri verminosa et typhosa differat.

Volumen adauctum, quod, si digestionis languorem, vomitum, flatulentiam, alvi obstipationes insequatur, physconiam, persaepe atrophiam, volumen adauctum post exanthema febrile anasarcam; oedema extremitatum infantis tabescentis mortem instantem nunciat.

Color cutis caeruleus neonati cum pulsu irregulari pro signo vitii cordis organici et praepediti per pulmones circuli sanguinis habetur. Color cutis intense ruber morborum febrilium inflammatoriorum fidelis comes, turgorem vitalem epidermidisque teneritudinem denotat, cui si accedit cutis siccitas, pulsus plenus, frequentior, calor adauctus, genio praeprimis epidemico regnante, exanthema febrile exspectare licet; orgasmus talis inflammationem localem, non raro haemorrhagiam praecedit. Color cutis discolor, flavescens, secretionem bilis alienatam et functionum naturalium turbas denotat.

*

Decubitus inconsuetus, tranquillus, cum impatientia corpus erigendi, vis vitalis debilitatem aut suppressionem, si non grave cerebri pathema indicat; *situs* neglectus, crebro mutatus, jactatio inquieta sensum molestiae ex functionis nobilioris impedimento et anxietatem determinat. Haec inquietudo et jactatio exanthemata febrilia plerumque praecurrit; sub decursu gravissimi morbi crisim infaustam, vel metastasim lethalem nuncians. Situs infantis per minuta mutatus, capite retro flexo, in angina membranacea summum respirationis impedimentum mechanicum in trachea indicat. Motus automatici brachiorum ad caput in hydrope cerebri acuto signum pathognomonicum.

Ex habitu corporis externo, dignoscitur longa illa exanthematum cohors non febrilium, crusta lactea, achores, tinea, herpes, scabies, psora aliaeque cutis anomaliae accidentales, sudamina, intertrigo, contusiones, contorsiones, fracturae, combustiones, vulnera, ulcera, vel ex causa interna nata mala, prolapsus, hernia, vitia organica, vel congenita aut acquisita.

In habitu corporis examinando, respicienda quoque veniunt: educatio infantum physica, vestitus, mundities, regimen, quantum ad organisationis evolutionem normalem non conferunt.

Habitu corporis externo solicite examinato, singulas corporis partes tentamini critico medicus subjiciat, oportet. Ex *facie* atque *vultu infantis* magna physiognomiae pathologicae pars eruitur. Variae quoque functionum turbae et vitae obsta-

cula ex oculis infantis, ex musculorum oris varia agitatione, voce et loquela deducuntur.

Oculi in omnibus systematis nervosi affectionibus idiopathicae, aeque ut sub pectoris et abdominis viscerum statu morboso sympathice, necessario afficiuntur.

Tussis convulsiva *tumore palpebrarum* oedematoso a medico versatico illico cognoscitur.

Cilia depressa a nonnulis pro signo habentur pathognomico hydropis cerebri acuti.

Oculi, si limosi, cavi, vegetationis languorem, assimilationis turbas, reproductionem imperfectam, diathesim rhachiticam et scrofulosam concomitantur; oculorum splendor altus, bulbi tumescentes, rubentes, prominentes, gravem pectoris organorum inflammationem, asperae praeprimis arteriae et bronchiorum doceut, et ex circulo sanguinis ex encephalo reducis praepedito derivantur, aeque ut illa gravia saepe exinde orta cerebri pathemata. In his morbis, si de repente splendor oculorum evanescit, et illi turgidi collabuntur, vim vitalem exhaustam, vel gangraenam et mortem imminentem nunciant.

Adnata in scarlatina catarrhose inflammata, lacrimans; in morbillis sicca, profunde rubra apparet.

Pupilla nimis dilatata in hydrope cerebri acuto, et vermium signum constans; aeque coarctata encephalitidis, contusionis cerebri symptoma frequens. Color albugineae flavus icterum declarat; quae porro sunt blepharophthalmia, hordeolum, ulcera aliaeque innumerae anomaliae, visu dijudicantur.

Frontis characteristica conformatione rhachitidem non solum, imo ejus durationem dignoscere volunt.

Quoad *nares* non raro observatur mucum narium per postica eorum foramina, sub situ dormientis infantis reclinato, plerumque horizontali, ex lege gravitatis depluere; evenit inde, ut post somnum profundum evigilatus puer deglutire pituitam, cui excreandae impar est, cum conamine, et tussi irrita observetur, inde stertorosa quoque dormientis respiratio, quae a multis cum injuria signo habetur hydrocephali aut apostematis. Inflammationes catarrhales, pruritus nasi qua stimulus consensualis vermium: corpora peregrina illapsa, spiritu attracta aut vi intrusa, insecta irrepta, polypus et alia multa tot totidem nasi signa sistunt diagnostica.

Vitia oris et ejus cavi organica, ut labium leporinum, spasmi muscolorum oris tonici et clonici in recenter natis obvii, trismus neonatorum, risus sardonicus, clamor nocturnus, gravium systematis nervosi pathematum comites, sensibus cognoscuntur externis.

Mucor viscidus, nigrescens labiorum, in decursu febris inflammatoriae, ipsam in pituitosam, nervosam vergentem declarat; circa os sub fine secundae periodi hydropis cerebri acuti, peculiare observatum est exanthema; ibidem cutis tensa, labiorum canceratica destructione sese manifestat; tumor chronicus, frigidus labii superioris scrofuloso morbo proprius.

Retardata dentium evolutio diathesim rhachiticam et scrofulosam semper comitatur; dentes infantis mucus viscidus et glutinosus obducens debilitatem vitalem; stridor dentium in statu soporoso affectionem cephalicam gravem docet.

E gingivarum indole aphthae, dentitio gravis, inflammatio, exulceratio dignoscuntur.

Lingua consensualiter quidem membranis nectitur mucosis asperae arteriae et bronchiorum, harum affectiones necessario sympathicas ferens; minime tamen lingua muco tecta semper qua signum anomaliarum gastricarum, cui muco obductae victus ex materia plerumque mucosa, gelatinosa, pingui, lactatioque ipsa et mundities neglecta quam plurimum contribuunt. Quae autem majoris sunt momenti, aphthae qua signum assimilationis erroneae, frenulum linguae, totice loquelae impedimentum, ranula, ulcera et similia, inquirenda.

Intumescentia linguae, comes inflammationis organi vicini, signum grave. Depuratio linguae ex apice in morbis acutis, qua bonae terminationis prodromus.

Halitus odor specificus in exanthematibus febrilibus, variolis, morbillis, scarlatina, haud quemquam fugiet medicorum.

Vox infantis ejusque clamor, fletus, ejulatus, vix exigua pro diagnosi signa; clamor et inquietudo morbosam nuncient sensationem, cruribus simul attractis dolores in abdomine, fletus et brachiorum motus automatici ad os gravem dentitionem. Nec parvi sunt aestimanda *signa ex palati*

aa

at *pharyngis* intumescentia, inflammatione, suppuratione, glandularum tumore deprompta qua liberae deglutitionis respirationisque obstacula.

Structura thoracis, in quantum ad respirationem confert, inquirenda.

Respiratio in plurimis puerorum morbis insigne sistit momentum, eoque majus, quo minus pulsui confidendum. Tutissima fit respirationis examinatio in puero dormiente atque ex situ aegri, ex molimine respirationis ejusque sono, ex qualitate inspirationis expirationisque internus dijudicatur status.

Respiratio brevis, calida, molesta, non solum sub organorum respirationis vel inflammatione, vel plethorico statu, sed ab affectionibus partium remotarum, abdominis praecipue, occurrit frequens.

Circulatio sanguinis in sano puero tantum rapidior, quam in adulto, ob summam systematis nervosi sensibilitatem et sympathiam organorum a minimis stimulis iisque remotis intenditur. Caveat itaque medicus, respirationis anomalias in ipsis pulmonibus causatas primarias ubique judicare; stricte distinguat, quae idiopathica sint, quae sympathica signa, ad therapiam inde rite instituendam.

Decubitus pueri in unum alterumve latus denegatus: fletus sub tussi sicca, exspiratio calida, respiratio ipsa orthopnoica signis synochae juncta peripneumoniam statuent, nisi sympathicam solam a pulmonum plethora pleurae irritationem aut pleuritidem. Quae respirationis aberrationes a

spasmis bronchiorum et asperae arteriae muco oppletione, harum partium inflammatione aut suppuratione, vel corpore peregrino illapso, aut structurae organicae vitio derivandae rite distinguat medicus.

In hydrope cerebri acuto non raro peculiaris observatur respiratio, nimirum suspiriis profundis anhelosis periodice interrupta. Anginam membranaceum tussi rauca, sibilosa, latrante saepe sola judicamus.

Pulsus, ubi ad diagnosim conferat, in dormiente exploretur infante, cum pueri inquietudo perversaque voluntas examini obsint, et sub tentamine ipso pulsum varient. Ex pulsu, nonnisi frequentiam naturali infantis statui convenientem nimis exsuperante, in febrim concludere licet. Pulsus hydrope cerebri laborantis characteristicus, tardus, intermittens.

Signa diagnostica ex functionum naturalium aberrationibus minime parvi sunt aestimanda, ubi a parentibus aut custodibus relata in infante simul e medico observantur.

Dysphagia, qua effectus vitii organici laryngis aut oesophagi, in pueris raro occurrit, causae traumaticae tribuenda.

Fastidium, *apositia* summam meretur medici attentionem. In prima vitae periodo signum saepe ventriculi per cibos repleti, nec gravis momenti. Ubi ex sympathica affectione apositia exsurgit, therapia in morbum causalem dirigenda erit, nisi primaria ex processu vitali in ventriculo morbose constituto, sensibilitate et debilitate organorum digerentium oriatur.

Adipsia per morbi decursum et illo judicato persistens, vim vitalem in ventriculo languentem, receptivitatem exhaustam declarat, atque in infante, in quo sano vegetatio rapido passu metamorphosim progredientem et regressivam absolvit, brevi vegetationis resolutio vitaeque consumptio timenda.

Fames canina persaepe educationi et consuetudini vorandi adscribenda.

Polydipsia, morborum frequens comes, ubi per urinas, sudores atque alvum excretionis quantitas aquae ingurgitatae ponderi non respondet, mali ominis.

In morbis acutis, febrilibus, sitis imminutio febris indicium faustum nunciat.

Adipsia sub aestu febrili, vel sub inflammationes graviori signum malum, eminentem systematis nervosi affectionem denotans, convulsiones, apoplexiam aut metastasim lethalem nuncians.

Vomitus in primis vitae periodo signum non mali ominis, quia proficuus evadit et medicaminis ad instar agit, ventriculum ciborum mole repletum deliberando.

Omnis tamen vomitus in judicium vocandus, et materia vomitu ejecta ingestis aequiparanda, quoad quantitatem et qualitatem indaganda, qui vomitus idiopathicus, qui sympathicus inquirendus. Utut idiopathicus in dies saepe insequatur, sympathicus ille et consensualis nec minus frequenter apparet vomitus, et statum internum organorum nobiliorum morbosum, secretionum tur-

bas, inflammationes, obstructiones, hernias, cerebri affectiones periculosas nuncupans, signa offert gravia.

Pituitae biliosae vomitus, absentibus primarum viarum sordibus, vel inflammationes viscerum abdominalium, vel cerebri concussionem, aut pathema transsudativum determinet, materia flava, amara, vomitu rejecta, ventriculum bile onustum et hepatis functiones turbatas declarat: lumbrici non infrequenter vomitu prodeunt, sanguis, pus, ichor per vomitum editur, utque tot primarum viarum affectionum vegetationis indicia.

Urina et Faeces non quoad quantitatem et qualitatem solum, sed et, qua sensatione, quo libertatis gradu, an inscio aegro, vel voluntarie actus excernendi procedat, stricte examinentur. Alvus, quo junior infans, eo liquidior et frequentior excernitur, quapropter per dies alvi obstipatio in prima aetate majoris momenti.

Neonati pertinax alvi praeclusio intestini recti aut ani organicum saepe agnoscit vitium.

Alvi obstipatio vicissim cum fluxu diarrhoico alternans, emaciante corpore, assimilationis inferioris turbas, systematis glandulosi et lymphatici languorem, aut obstructionem, indurationem, transitum in atrophiam nunciat.

Diarrhoea modica, functionibus naturalibus vitae procedentibus, processus vitalis energiam non infringens, in febribus inflammatoriis, praeprimis sub judicio illarum, aeque ut in dentitione graviori, proficua est, exorbitantiam vitalem ab organis capitis et pectoris nobilioribus derivando.

Pejus signum, ubi diarrhoea initiante febri inflammatoria crebrior exoritur, sub primo impetu vitae reagentis crisim male persaepe judicat, atque processum vitalem functionum diversarum in harmonia turbat.

Quantitate et qualitate excretorum examinata, abdomen quoque, utrum in parte quadam doloreficum sit, contrectetur.

Dolores fixi in abdomine sub diarrhoea et post ejus fluxum perseverantes, affectionem catarrhalem, ut leve inflammatorium, indicant, qui si sub levi abdominis exploratione augentur dolores, cholera aut enteritis timenda erit, quam praesentem et evolutam vomitus accedens, absque primarum viarum cruditatibus conspicuis, sat evincit.

Ex faecum conditione persaepe sola et tuto dignoscentur pituita excedens primarum viarum, bilis secretionis anomaliae, lienteria, dysenteria, vermes, phthisis abdominalis, nec parvi est pretii ubi internus canalis alimentaris status, digestio, chylificatio et assimilatio, humorum degeneratio diversa, aut status virium vitalium dijudicandus venit.

Urina sani, ubera sugentis infantis aquosa magis, saepius turbida observatur, acidi benzoici et oxalici, et salium alcalinorum vestigia vix offerens.

In hydrope cerebri acuto ejusque altero statu urina parca, turbida, sedimentum albadum, floccosum ad fundum deponens, signum constans.

Sudores in morbis infantum chronicis dia-

gnosim et prognosim saepe determinant; sudor copiosus, perdurans, plerumque nocturnus, capitis localis, qui signum censetur rhachitidis initiantis pathognomicum.

REGULAE GENERALES CIRCA THERAPIAM INFANTUM.

Quum in diagnosi morborum infantilium signis detinemur solummodo objectivis, subjectiva infantis autem nos latent, nullum sit symptoma tam exiguum, ut vilipendatur, e quo unico saepe fieri debeat diagnosis.

Procedendo ad therapiam, ubicunque fieri potest, longiori adhuc observetur infans tempore, priusquam remedium ei exhibeatur activum, aut cura suscipiatur validior. Ast ubi periculum in mora, ibi cunctari temerarium foret. Caveat tamen medicus ne signa secunda incuriosum eum faciant, neque adversa illico ejus consternent animum; sic febris saepe validissima turbaeque systematis nervosi immanes repente ortae citu iterum disparent, et e contra vilis saepe anomalia tristem sortitur effectum.

Quae morbis infantum medendi methodus apprime convenit passiva, vix unquam carebit utilitate. Quantum autocratia naturae apud infantes valet, quotidiana docet experientia, absque illo naturae conamine atque nisu, manca manet medicina optima. Complures morbi suum habent determinatum atque constantem typum, decursus

exanthematum contagiosorum abbreviari nequit. Hic itaque, aeque ut in morbis complicatis atque in iis quorum causa nos latet, vix parvi erit pretii methodus illa Hippocratis *Non festinemus, sed attente cunctando attendamus, quid natura velit faciatque*; tali ratione suo loco atque tempore ejus moliminibus opitulabimur; eam exorbitantem componemus, languentem erigemus; suppressam liberabimus; eamque insuper, ut e diversis functionibus corporis libertas illaesa procedat, turbata restituatur, adjuvabimus.

Summa cum praecautione procedamus oportet in affectionibus morbosis sub periodo evolutionis emergentibus, quas natura ipsa insontia reddere consuevit. Observetur rite regula, medicum circa infantem potius nimis parcum, quam nimis largum esse debere.

Quoad pharmaca ipsa lex minime est inanis: *Initio mitia praestare medicamenta atque parca dosi.* Hanc legem nobis dictat magna receptivitas erga potentias nocentes atque stimulos, consequenter etiam erga medicamenta: prout acidum primarum viarum, quantitative vix excedens vehementissimas saepe excitare valest convulsiones, ita quoque mitissimis iterum, Magnesia, cito illae componuntur perturbationes. Primis vitae periodis summam intendat medicus attentionem primarum viarum anomaliis.

Acidum, pituita quantitate excedens, flatulentia atque faecum accumulatio largissimus saepe fons morborum primam aetatem infestantium.

Quotum hic *Magnesia*, *Rheum*, *Sem. Foeniculi* praestare valent, enematibus praecipue coadjuvantibus, experientia sat edocemur, ubi primo statim in usum vocantur ortu, gravissimis certe praecavetur morbis; horum princeps remediorum sistit *Rheum*, nec aliis facile supplendum, agit non qua purgans solum, gaudet et virtute tonica roborante, quoad ventriculum et intestina, carminativa nec non antacida. Doctrina de sympathia et antagonismo nulla hominum aetate majorem sui consciscitur applicationem, quam in infantili, hujus solummodo ope varias organorum perturbationes explicare licet. Ad therapiam, quantum lumnus adfert, experientia testatur; sic congestiones ad encephalon, calore adaucto, faciei turgescentia statuque saepe soporoso notatae, et vehementissimae cerebri perturbationes in primis viis fontem persaepe agnoscentes, egregie derivantibus antagonisticis, in cutem atque canalem intestinalem stimulo directe agentibus, componuntur celerrimeque tolluntur. Summi hic extant pretii emetica, non qua eliminantia solum, verum et, sublato iis inter ventriculum et cerebrum atque pulmones consensu morboso, qua summe proficua antispastica in cerebri et pectoris organorum adfectionibus.

Cautissimus tamen sit in prima aetate debilitantium usus ne sub eorum usu, humores plasticos detrahendo virium vitalium energia nimis imminuatur aut penitus frangatur, quod valet prae ceteris de emeticis et drasticis.

Nitrum colliquans tenerrimo adhuc infantis corpori haud bene convenit, ideo quae jam adsunt colliquationes summam exposcunt medici attentionem. Nec minori praecautione opus est, ubi ab excitantibus volatilibus auxilium sperandum.

Opii usus in tenerrima praeprimis aetate, dispositione ad congestiones versus caput vigente, omni jure negligatur, et nonnisi aetate progrediente, infante summo periculo versante, ob diarrhoeas colliquativas aut alios morbos refractarios, aliis remediis collaudatis resistentes, ad hoc remedium confugiat medicus heroicum; quae hic convenit dosis minima, sit gutta *Tinct. Opii* cum drach. *Sach. albi* in pulverem redacta, atque in doses sex dividenda: ubi major desideratur dosis, melius externe applicatur, aut clysteris ope

Regula quoad pharmaca, prae ceteris circa narcotica remedia, stricte erit observanda, quae primis vitae diebus vel lubentius non concedantur, aut summo solum periculo manu exibeantur cautissima.

Quae incommoda tamen, ut quam maxime praecaveantur, praeplacet plurimis non sine jure maximo cutem externam, pro talium remediorum applicationis loco seligendi, quo noxae, quae ex interno eorum usu provocantur, facili modo impediuntur. Applicationi externae favet cutis quoque vividior receptivitas, sensibilitas major, nec non resorptio alacrior, inde effectus quoque desideratus promptior

Materia nutriens in infante, processu vege-

tativo eminente, rapidiori passu in organicam animalem convertitur, quae minori tamen gaudens perfectionis gradu eadem celeritate ad res iterum non organicas reducitur et; si nutrimentis justa ratione repetitisque vicibus succurratur, citior inde vegetationis resolutio et vitae consumptio alacrior, quam in adulto, in conspectum venit necesse est; ex eadem causa curae sit quoque medico, ne in morbis puerorum per tempus nimium detrahatur victus aerque recreans, purus.

In infantibus secundum egressis annum, pastosis, vegetis, cum diathesi scrofulosa manifesta, lex antiquorum minime negligenda erit, ea nalem eorum intestinalem omni quarta hebdomade, faventibus tamen circumstantiis, materiis excernendis indigestis aut novis intus generatis, majori copia collectis deliberandi, ut ita multa praecaveantur mala, qualia sunt: congestiones, inflammationes germinantes, vermes longaque cohors impetiginum, quae nil aliud nisi materiae assimilationi non aptae, in sanguinem tamen receptae, tandem per cutem evacuationes considerandae veniunt.

Infanti porro quod multum, imo plurimum persaepe proderit, est regimen diaeteticum characteri morborum sapienter adcommodatum, praecipue, ubi indicatio pro medicina energica abest. Regimen solum sub talibus adjunctis curam perficit. Vix credibile, quantum in cachexiis diversissimis regimen praestare valeat diaeteticum, imprimis, si illud ad suum arbitrium coordinare con-

cessum fuerit medico Carta in rhachitide, scrofulosi, infarctibus viscerum et aliis prolium malis per loci, naris, victus regimen immutationes plus omnino assequimur, quam omnibus solventibus roborantibusque pharmacis. In coordinato regimine absint omnia, quae systema vasorum potentiae irritare valuerint, uti coffea, vinum, aromata, eo magis, quo minus ea vulgo nocere creduntur et salutarem medicamentorum actionem pervertunt.

EDUCATIO PHYSICA INFANTUM.

Vita infantis scilicet ad sextum usque mensem nobis apparet ut mare generationis seu foecundationis in utero continuatio, seu tamquam primae formationis perseverantia; hic plurimum fit, ubi adpulsus externos sedulo amovendo processus vitalis in materia evolvendis atque perficiendis non turbatur, et tali ratione organismo quies et somnus recreans conceditur.

Curetur aequabilis atque successiva omnium systematum viriumque evolutio, ne praematura exsurgat unius organi aut systematis, alterius sumptibus, evolutio.

Infans autem, quo tutior sit contra ingressiones externas nocivasque intemiustas perferat, injuriis adsuescat externis, quod lotionibus totius corporis balneisque, sexta hebdomade jam incipiendo, primo cum aqua justa calefacta, in dies autem ad minorem temperaturae gradum descendendo,

matutino praesertim tempore, facili modo obtinetur. Cl. Prof. Steer optimo cum successu utitur primis quatuordecim vitae diebus duplici quotidie balneo tepido lacte remixto, postea ad quadragesimum usque uno matutino; abhinc autem aestate et hieme mane vix expergefactos in balneum frigidum immergit proles et suas et Clientum, nec unquam infausta exinde vidit manasse, imo florida aetas morbisque vacua comitatur tale quotidianum corporis exercitium. Tali ratione non solum systemati nervorum cutisque externae robur additur, verum quoque affectiones catarrhales atque rheumaticae praecaventur, quod magis adhuc coadjuvatur infantis commoratione per longius diei tempus in aëre libero, cubilia saepius ventilatione, corporis et vestitus summa munditie, scilicet principe educationis physicae infantum coadjuvamine.

Victus sit facilis digestu facileque assimilandus, viribus digerentibus in singulis vitae periodis adcommodatus. Neonato nutrimenta diversa non conveniunt; quod ipsi optime conducit, extat lac matris simplex, hocque deficiente lactatio per nutricem adcommodatissima ubi autem haec quoque non conceditur, nutrimenta artificialia naturalibus, lacti nimirum matris, quantum potest, quoad qualitatem approximari atque debita quantitate porrigi debent. Lacti materno, nutrice deficiente, lac vaccinum quoad qualitatem proxime accedit, et aptissimum est infanti nutriendo Lac autem, ne aëri atmosphaerico expositum in coagulum abeat, et

acido inde producto plus noceat quam prosit, retineatur ab influxu aëris, et tali modo servatum, atque ad eum usque gradum calefactum, quem etetiam post mulctum possidet apto vase justa praebeatur quantitate

Optimum lactis supplementum sistit vitellus ovi unius cum libra aquae communis tepidae bullitus, quod consistentia sufficienti gaudet, ut infans nutriatur si organa digerentia valeant.

Infans quoque in prima vitae periodo saepius de die quam adulti, pabulum petit, idque forma magis fluida, ad minimum quater de die porrigendum. Tempore lactationis elapso, nutritio fere haec foret: mane bibat infans vasculum coffeanum lactis vaccini bonae notae tepidi, a meridie hora circiter undecima vel duodecima sumat jusculum carnium cum pane albo, glarea farinacea et similibus, post meridiem iterum lac accipiat ut mane, vesperi jusculum aquosum, vel lacteum, vel carnosum. Pro potu sorbeat aquam communem egelidam Ad primam usque dentitionem parcus tamen sit victus carnosus, qua causa sanguinis magis phlogistici et inde gravioris saepe dentitionis. Serius, ad septimum usque annum, mane et vesperi lac superius memoratum, ad meridiem caro, parca nonnisi quantitate, edjectis digestu facilibus, leguminibus, pastinacis, spinaciis atque fructibus variis; vitentur pinguia, aromata, coffea, vinum. Aqua pura aut cum lacte commixta pro potu optima.

Quae ultimo adhuc quoad educationem physicam memoratu praeprimis digna veniunt, prave

est illa consuetudo, pueros atque puellas sex septemve annorum in dies per decem horas scholis tenere, in functionum naturalium exercitium, aeque ut in naturales effectum perniciosum exerit, infestius organisationem ipsam adgrediens. Hinc inde mala innumera ex digestionis et assimilationis laesae turbis repetenda: uti sunt, pertinax alvi obstipatio, dolores colici quin et haemorrhoides atque praematura systematis sexualis evolutio, nec non puellarum chlorosis, conformatio ossium normalis sub vita sedentaria praepedita, vitiaque organica, pelveos angustiae, gibbositas inde orta.

THESES DEFENDENDÆ

I.

Anatomia et physiologia fundamentum medicinae.

II.

Quae organa pluries inflammatione laborarunt, eo magis faciliusque inflammatione afficiuntur.

III.

Aloë actionem suam, ut digitalis, in arteriarum motus clare ostendit.

IV.

Dolor capitis cerebri affectionem non semper indicat.

V.

Lactatio artificialis, si possibile, non adhibenda.

VI.

Revellentia in inflammatione alicujus organi statuta inflammationem non tollunt.

VII.

In morbis periodicis sulphas chininae unicum refugium.

VIII.

In primo aetatis anno infantum mortalitas major.

IX.

Causa morborum in solidis potius, quam in in fluidis inquirenda.

X.

Febris fere semper morborum symptoma, quam morbus.